



Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

Romae, MDCLXXXVII

Q. 121. Vtrum assensus fidei includat discursum formalem, vel solum
virtualem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

est prima veritas per reuelationem nostræ religionis, ac mysteriorum exercitè testans se esse primam veritatem; ergo infidelis non assentitur primæ veritati, in quantum est obiectum formale fidei; ergo fidelis distinguitur ab infideli per hoc, quod assentiatur primæ veritati, in quantum includitur in ea propositione complexa, ac proinde prima veritas vt inclusa in ea propositione est obiectum formale fidei, per cuius assensum fidelis distinguitur ab infideli.

QVAESTIO CXX.

Virum Deum esse summè veracem possit credi vt conclusio, & vt obiectum materiale fidei?

1. Videtur non posse: conclusio enim saltem formaliter debet distingui à præmissis: cuius ratio est, quia discursus est progressus intellectualis ab vna veritate in aliam; sed hæc conclusio, *Deus est summè verax*, non distinguitur formaliter à prima præmissa fidei, quæ ex dictis quæst. 118. est, *Deus est prima veritas exercitè testans per reuelationem mysterij se esse primam veritatem*; ergo &c.

2. Resp. quod Deum esse summè veracem potest credi, non solum vt obiectum formale, sed etiam vt obiectum materiale, & vt conclusio fidei. Ratio est, quia quidquid à Deo est reuelatum, non solum exercitè, & indirectè, sed etiam signatè, & directè, potest credi vt obiectum materiale, & vt conclusio per discursum saltem virtuale illata, ex præmissis fidei; sed Deum esse summè veracem, reuelatum fuit directè, & signatè in pluribus locis scripturæ, & præsertim cum ad Rom. 3. dicitur, *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax*; ergo &c.

3. Ad argumentum in contrarium distinguo maiorem: conclusio debet saltem formaliter distingui à præmissis, & non sufficit distinctio obiecti incomplexi à complexo, nego; & sufficit hæc distinctio, concedo; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Ad conclusionem discursus latissimè sumpti sufficit, vt conclusio distinguatur à præmissis qualibet distinctione, vel minus expliciti à magis explicito, vel obiecti incomplexi à complexo. Probat, & explicatur exemplis. Valet enim hæc argumentatio, *Petrus, & Paulus currunt*; ergo *Petrus currit*, & tamen consequens, seu conclusio differt ab antecedenti solum vt obiectum incomplexi à complexo. Similiter valet: *Deus est vnus; Deus est trinus*; ergo *Deus est vnus, & vnus*; & tamen consequens differt ab antecedenti solum vt propositio complexa à propositione incomplexa; ergo licet hæc propositio, *Deus est prima veritas* differat ab hac propositione, *Deus est prima veritas reue-*

lans se esse primam veritatem, solum vt propositio incomplexa à propositione complexa, nihilominus potest ex illa inferri per discursum latè sumptum, ac potest credi per fidem, vt obiectum materiale, ita vt ex illa alia inferatur, tanquam ex obiecto formali. Simili modo explicatur, quo pacto per fidem credi possit vt conclusio, quod Deus est, licet hæc veritas, *Deus est*, includatur in maiori fidei, qua affirmatur Deus absolutè, & non solum in sensu conditionato esse prima veritas.

4. Debet aduerti multas regulas syllogisticas valere solum de discursu strictè, non autem latè sumpto: ex. gr. est regula, quod discursus, siue argumentatio debet constare ex tribus saltem terminis, & tamen vna propositio conuertitur in aliam per discursum, siue argumentationem constantem ex duobus tantum terminis, vt cum dicitur, *omnis homo est animal; ergo aliquod animal est homo*.

QVAESTIO CXXI.

Virum assensus fidei includat discursum formalem, vel solum virtuale?

1. Videtur non includere vllum discursum, primò quia in somni discursu formali, vel virtuali certiores sumus de præmissis, quam de conclusione, iuxta axiomata Aristotelis, & commune, *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*; ergo per fidem certiores essemus de hoc, quod Deus reuelauerit nostram religionem, quam de veritate nostræ religionis; ergo de veritate nostræ religionis non haberemus certitudinem super omnia.

2. Secundò in omni discursu certitudo de conclusione pendet à certitudine de bonitate illationis; sed certitudo de bonitate illationis est merè naturalis; ergo certitudo de conclusionibus fidei penderet ab aliqua certitudine merè naturali, quod repugnat. Nam certitudo fidei, cum sit maior omni certitudine naturali, non potest pendere ab vlla certitudine merè naturali.

3. Resp. discursum, prout abstrahit à formali, & virtuali esse, per quem propositioni per se non notæ, aut per se non credibili, assentimur propter connexionem, quam habet cum alijs propositionibus per se notis, vel per se credilibus, aut quæ tandem inferuntur ex propositionibus per se notis, & per se credilibus.

4. Diuiditur in formalem, & virtuale. Discursus formalis est, quo intellectus per actus distinctos ab assensu propositionum per se notarum, vel per se credibilium, procedit ad assentiendum propositionibus per se non notis, vel per se non credilibus, sed connexionis cum propositionibus per se notis, vt per

per se credibilibus. Discursus virtualis est, quo intellectus eodem actu assentitur propositioni per se notæ, vel per se credibili, & propter illam propositioni obiectivæ per se notæ, vel per se non credibili connexæ cum propositione per se notæ, vel per se credibili.

5. Certum est, & ab omnibus supponitur assensum fidei includere discursum formalem, vel virtualem. Ratio est, quia per actum fidei mysterijs per se non credibilibus assentimur propter divinam veritatem, & revelatiopem per se credibilem; sed hoc sufficit ad discursum abstrahentem à formali, & virtuali; ergo &c.

6. Quæritur, vitum actus fidei includat discursum formalem, vel solum virtualem?

7. Dicendum cum Caietano, Capreolo, & alijs, quos referunt, & sequuntur Suarius disput. 6. de Fide sect. 4. & Granado tract. 9. disput. 1. num. 8. contra Durandum, Gabrielem, & alios, quos referunt, & sequuntur Valquez 1. parte disput. 5. num. 5. & Cardinalis de Lugo disput. 7. de Fide sect. 1. Fides includit discursum virtualem, ac non potest includere formalem.

8. Probat: nam cum intellectus in eo signo, in quo assentitur præmissis, iam perfectè videt tales præmissas esse necessario connexas cum aliqua conclusione, eodem actu assentitur etiam tali conclusioni propter præmissas, ac proinde per discursum solum virtualem, non autem formalem; cum autem intellectus in eo signo, in quo assentitur præmissis, nondum perfectè videt tales præmissas esse connexas cum conclusione, tunc prius natura assentitur præmissis, posteriùs, ac per actum distinctum assentitur conclusioni propter præmissas, ac proinde per discursum formalem; sed in eo signo, in quo assentimur præmissis fidei, intellectus noster iam perfectè videt præmissas fidei esse connexas cum mysterijs revelatis; ergo eodem actu, quo assentimur præmissis fidei, assentimur etiam mysterijs revelatis, ac proinde per discursum solum virtualem, non autem formalem. Probat maior; nam cum intellectus in eo signo, in quo assentitur vni, iam videt illud esse connexum cum altero, non est ratio, quare differat assensum alterius connexi ad signum posteriùs; ergo assentitur in eodem signo, & sine discursu formali, ad quem requiritur, vt assensus conclusionis sit posterior natura assensu præmissarum. E conuerso cum intellectus in eo signo, in quo assentitur vni, non perfectè videt illud esse connexum cum altero, propter hoc ipsum differre debet assensum alterius ad signum posteriùs, ac proinde debet discurre formaliter. Probat iam maior: nam assensum fidei, utpote voluntarium, & liberum, præcedit prudens voluntas credendi, & iudicium de prudenti credibilitate, & de obligatione credendi;

sed per iudicium de credibilitate cognoscimus præmissas fidei prudenter posse, ac debere credi propter se, & vt principia, conclusiones, seu mysteria reuelata prudenter posse, ac debere credi propter præmissas, cum quibus euidenter cognoscuntur esse connexæ; ergo in eo signo, in quo intellectus ex imperio voluntatis assentitur præmissis fidei propter se, iam perfectè videt illas esse necessario connexas cum conclusionibus, seu mysterijs reuelatis, ac proinde eodem actu assentitur etiam mysterijs reuelatis, sine discursu formali, ad quem requiritur, vt assensus conclusionis distinguatur realiter ab assensu præmissarum, & sit posterior natura assensu præmissarum.

9. Nec dicas quod ex imperio voluntatis intellectus prius natura assentitur præmissis, posteriùs natura conclusionibus, seu mysterijs reuelatis. Nam voluntas non potest facere, vt intellectus assentiens vni obiecto, quod in eo signo videt esse connexum cum altero, non assentiatur alteri in eodem signo. Videri possunt quæ de discursu formali, & virtuali dixi quæst. 62. Logicæ.

10. Ad 1. concedo antecedens, & primam consequentiam, & nego secundam consequentiam. Dum dicimur credere super omnia, amare super omnia, dupliciter potest intelligi. Primò, quod credamus, certitudine, qua non possit dari maior, amemus amore, quo non possit dari maior, & in hoc sensu nec credimus super omnia, nec amamus super omnia. Patet; nam qui habet maiorem fidem, magis, & certius credit, quam qui habet minorem; qui habet maiorem charitatem, magis amat, quam qui habet minorem; beati per visionem beatificam multò certius assentiuntur diuinis mysterijs, quæ vident, quam viatores assentiuntur iisdem mysterijs, quæ solum obscure cognoscunt; ac Deus certitudine infinite maiori cognoscit, quam quælibet creatura, sicut infinite magis se ipsum amat, quam vlla creatura amet, vel amare possit Deum. Secundo potest intelligi, quod per fidem mysterijs reuelatis adhæreamus maiori certitudine, & firmitate, quam vllis obiectis naturaliter cognitis, & ita, vt motuum credendi præferamus omnibus alijs motiuis, quæ possunt occurrere in oppositum; & proportionaliter dicimus Deum amare super omnia, quatenus Deum amamus magis, quam vllum obiectum creaturæ, ac Deum præferimus omnibus alijs amabilibus; & solum in hoc sensu per fidem credimus Deo super omnia; sed cum hoc, quod per fidem mysterijs reuelatis magis assentiamur, quam vllis obiectis naturaliter cognitis, stat, quod per fidem ipsam possimus magis assentiri principijs, quam conclusionibus, licet tùm principijs, tùm conclusionibus fidei magis assentiamur, quam vlli obiecto naturaliter cognito; ergo &c. Adde, quod illud axioma, propter

propter quod unumquodque tale, & illud magis, aliqui in presenti materia intelligunt negativè, ita ut sensus sit; non possumus firmius assentiri conclusioni, quam principiis, non autem positivè, ut sensus sit, necesse est, ut certitudine positivè maiori assentiamur principiis, seu præmissis, quam conclusioni.

11. Ad 2. concedo maiorem, & nego minorem. Per fidem enim habemus certitudinem supernaturalem de hoc, quod Deus revelet mysteria revelatione essentialiter connexa cum veritate mysteriorum; sed bonitas illationis consistit in hoc, ut veritas præmissarum sit essentialiter connexa cum veritate conclusionis; ergo per fidem certificamur de bonitate illationis; & quia hoc complexum, *Deus revelet mysteria revelatione essentialiter connexa cum veritate mysteriorum*, est obscurum, ideo per fidem obscuram in complexo obscuro certificamur de bonitate illationis, quæ seorsim considerata est evidens. Porro non repugnat, ut dum assentimur complexo obscuro, in tali complexo assentiamur veritati, quæ seorsim sit evidens, ut patet pluribus exemplis. Nam dum assentior huic veritati complexæ obscuræ, *Deus est trinus, & unus*, assentior huic veritati, *Deus est unus*, quæ seorsim est evidens; dum per fidem obscuram credo me posse consequi beatitudinem supernaturalem, assentior huic veritati, ego existo, quæ seorsim mihi est evidentissima. Sed hæc quæstione 132, magis explicabuntur.

12. Ex hæcenus dictis in hoc tractatu, explicari potest actus fidei, eiusque resolutio in sua motiva intrinseca. Ut eliciam actum fidei, quo credam e. g. Deum esse trinum, & unum, primò debet mihi proponi Deum esse summam veritatem revelantem se esse trinum, & unum, & exigentem à me, ut id summè credam, ac proindè exercitè revelantem se esse summam, & infallibilem veritatem. Secundo per motiva credibilitatis, & per internam illuminationem Spiritus Sancti debet mihi evidenter persuaderi, me prudenter posse, ac debere firmè credere Deum esse summam veritatem, revelantem se esse trinum, & unum, & exercitè revelantem se esse summè veracem, & ex hoc motivo posse, ac debere credere Deum esse trinum, & unum. Tertio ex motivo credibilitatis sequitur iudicium evidens, quo dico: ego prudenter possum, ac debeo firmè credere, Deum esse summam veritatem, revelantem se esse trinum, & unum, & exercitè revelantem se esse summè veracem, & ex hoc motivo credere Deum esse trinum, & unum. Quarto ex hoc iudicio sequitur libera voluntas credendi, qua dico: quia prudenter possum, ac debeo firmè credere Deum esse summam veritatem revelantem se esse trinum, & unum, & exercitè revelantem se esse summè veracem, & ex hoc motivo possum, ac debeo firmè credere, Deum esse trinum, & unum, volo totum hoc firmè credere.

Quinto ex hoc actu voluntatis, concurrente Deo per auxilia gratiæ, sequitur in intellectu actus fidei imperatus, quo firmè dico: *Deus est summa veritas revelans se esse trinum, & unum, & exercitè revelans se esse summè veracem, & quia hoc non potest esse verum, quin Deus sit trinus, & unus, Deus est trinus, & unus.* Obiectum formale, ac motivum intrinsecum huius actus est hæc veritas per se credibilis, *Deus est summa veritas revelans se esse trinum, & unum, & exercitè revelans se esse summè veracem.* Obiectum materiale est hæc veritas non per se credibilis, *Deus est trinus, & unus.* Motivum assentiendi, & obiectum formale apparetur connexum cum materiali, ut non possit esse verum obiectum formale, quin sit verum materiale. Hic actus indivisibilis est syllogismus quidam virtualis, quia virtualiter continet istum syllogismum formalem constantem ex duabus præmissis, & conclusionem realiter distinctis: *Deus est summa veritas ac proindè quicquid dicit est verum; sed Deus dicit se esse trinum, & unum; ergo Deus est trinus, & unus.* Actus voluntatis, quo volumus credere, & iudicium de prudenti credibilitate sunt actus necessariò præsuppositi ad fidem, utpote prudentem, voluntariam, & liberam, ac motiva, ex quibus moventur tales actus, sunt motiva solum extrinseca fidei. Ideo explicata resolutione fidei in sua motiva intrinseca, debemus agere de resolutione fidei in motiva extrinseca, hoc est in motiva credibilitatis, per quæ probamus nos posse, ac debere prudenter firmè credere, Deum revelasse nostram religionem, eiusque mysteria: quod iam præstabitur tractatu sequenti.

TRACTATUS XIII

De resolutione extrinseca fidei in motiva credibilitatis.

QVAESTIO CXXII.

Utrum sit evidens religionem christianam, & catholicam esse prudenter credibilem, & credendam?



1. IDETVR non esse evidens, primò quia quod est evidens, à nemine potest negari; sed omnes infideles negant christianam religionem esse prudenter credibilem, ac credendam, ac dicunt imprudenter, ac stultè à nobis credi; ergo &c.

2. Secundo non est evidens illam religionem